

Laborare tamen, studere et inquirere debui, nullique pepercì labori, ut pro viribus opus saltem bonum et utile producerem.

Labor mihi, utilitas proximo, gloria Deo.

Sincere interim profiteor, me recto animo ac bona fide totum opus composuisse : si tamen còntra mentem vel in aliquo ab Ecclesiæ legibus aberraverim, supremo Sedis Apostolicæ iudicio me meaque scripta humiliter subjicio.

## NOTIO HISTORICA.

Una omnium doctorum virorum hac de re scribentium sententia est, ordinem canonicorum regulariter viventium, primum ab Apostolis esse institutum (1). Adeo ut a primis nascentis Ecclesiæ incunabulis clericorum extiterint congregationes, veram collegiorum ecclesiasticorum speciem præ se ferentes, in quibus et clerici et diaconi et presbyteri unum cum Episcopo corpus constituebant (2). Crescente numero clericorum, Episcopi quosdam e clero seligere cœperunt, ætate, prudentia ac sacrarum rerum peritia cæteris præstantiores, quos fideles penes se haberent cooperatores, et quorum consilio et opera diocesim administrarent. Hi vero non statim in communi, ut docet Thomassinus (3), vitam egerunt, sed seorsim viventes constitutis temporibus simul ad ecclesiasticas functiones conveniebant, iisque ab Episcopo certa quædam portio ex redditibus ecclesiæ impertiebatur. Curantibus autem Episcopis, communem deinde vitam sub eorum directione cœperunt ducere, unam eandemque domum incolere, parique habitu ac mensa communi uti, ita ut a monachis differre non viderentur, nisi quod tria vota solemnia non profiterentur. Canonicorum et monachorum ordo et status confundi non debent; aliqui quidem ex canonicis progressu temporis, strictioris observantiæ amatores, non solum vitam communem agere, sed et tria vota religiosorum mo-

(1) Molanus de canonicis, lib. 1, cap. VI.

(2) Louvrex dissert. 1, n. 6.

(3) Vetus et nova Ecc. discipl. p. 1, lib. III, cap. VII.

nachorum profiteri cœperunt : hinc duplex facta est canonicorum species; alii dicti sunt canonici regulares, qui adinstar monachorum tria vota solemniter emittebant; alii autem canonici sæculares, qui, licet in communitate viverent, a tribus tamen monachorum votis liberi ac soluti erant.

Communis canonicorum sæcularium, simul cohabitantium et conviventium vita duravit usque ad sæculum decimum vel undecimum, et in aliquibus capitulis, prout in Leodiensi (1), etiam ad sæculum duodecimum. Illo circiter tempore canonici a primæva disciplina recedentes, separatim vivere cœperunt; bona mensæ capitularis, quæ semper in communi collecta fuerant, divisa sunt, ac præbendæ canonicales constitutæ ab unoquoque proprio arbitrio administrandæ.

Eadem hodierna est disciplina. Præterea in toto territorio Reipublicæ Gallicanæ omnibus bonis ecclesiasticis in fine sæculi decimi octavi confiscatis et divenditis, præbendæ canonicales communiter perierunt, et earum loco canonici pensionem annuam a gubernio accipiunt.

#### QUID EST CAPITULUM ECCLESIE CATHEDRALIS?

Capitulum cathedrale est collegium clericorum, ab Ecclesia institutum, ad juvandum et supplendum Episcopum, divinumque officium in ecclesia cathedrali peragendum juxta statuta ad hoc approbata.

Hæc definitio soli convenit capitulo cathedrali. In ea exprimentur omnia quæ illud concernunt, videlicet institutio, finis, opera, modus, etc. Hæc sunt omnia et sola, quæ in hoc tractatu sunt proponenda, inquirenda, explicanda, probanda : nimirum a quo capitulum cathedrale instituendum, ex quibus componitur personis, ad quem pertinet collatio, an Episcopus novos canonicatus aut dignitates instituere valet; quæ capituli potestas sede plena et sede vacante; quæ capituli obligatio circa officium divinum et missam conventualem; quæ residentie obligatio, quæ jura circa præbendas et distributiones; quæ et qualia requiruntur statuta capitularia; qui et quales habendi conventus capitulares, etc.

(1) Molanus de Canon., lib. 1, cap. 14; Louvrex dissert. 1, n. 54 et 55.

## CAPUT I.

### SOLUS PAPA ERIGIT CAPITULUM CATHEDRALE.

I. Pro instituendo capitulo auctoritas ecclesiastica requiritur. In hac re nulla est potestatis sæcularis facultas : cum enim capitulum cathedrale non tantum per se ecclesiastica sit institutio, sed et veram jurisdictionem habeat, eamque in certis circumstantiis exerceat, a sola auctoritate ecclesiastica institui potest. Neque etiam clerici alicujus ecclesie ipsi suo arbitrio et pacto in unum corpus ac legitimum collegium coire possunt; sic enim non capitulum, sed factio et collegium foret illegitimum.

II. Hæc auctoritas erigendi capitulum cathedrale, spectat ad solum Summum Pontificem. Ratio est, quia id connectitur cum creatione ecclesie cathedralis : atqui Summo Pontifici vindicatum est jus erigendi novos episcopatus; ergo et eidem competit erectio capitulorum cathedralium.

Dum Summus Pontifex ecclesiam erigit in cathedralem, simul et eadem bulla in illa erigit capitulum cathedrale, vel saltem illud erigendi facultatem concedit. Sic in decreto Cardinalis a Latere 9 Aprilis 1802, quo Bulla novæ circumscriptionis Dioecesium Gallie publicatur, legitur : « Archiepiscopis et Episcopis Galliarum » primo futuris facultatem concedimus, ut posteaquam canonicè instituti, ecclesiarum suarum regimen actu consecuti erunt, » capitulum in Metropolitanis et Cathedralibus respective ecclesiis suis erigere ipsi possint juxta formam a Sacris Canonibus Conciliisque præscriptam, et ab Ecclesia hucusque servatam, » cum eo Dignitatum et Canonicorum numero, quem ad earundem » Metropolitanarum et Cathedralium ecclesiarum utilitatem, et » honorem, attentis rerum circumstantiis, expedire judicabunt. »

## CAPUT II.

### QUIS CONFERT CANONICATUS ET DIGNITATES CAPITULI CATHEDRALIS?

I. Sicut solus Summus Pontifex capitulum cathedrale erigere valet, sic capitulum erigendo, collationes canonicatum et dignitatum sibi reservare, vel Episcopo, vel capitulo, vel etiam aliis relinquere potest. Qui enim capitulum plena potestate erigit, illud

sicut et prout voluerit, erigere potest. Unde si Pontifex in capituli erectione aliquam dignitatem vel canonicatum sibi specialiter reservaverit, ista dignitas seu canonicatus per ipsum solum conferri potest. Sic in bulla erectionis capituli diocesis Brugensis in Belgio Sedi Apostolicæ reservata est collatio Archidiaconatus, primæ post pontificatum dignitatis (1).

II. Per regulas Cancellariæ Romanæ Summo Pontifici reservantur omnia beneficia vacantia in curia, id est, quorum beneficiarius moritur Romæ, vel amittit suum beneficium per aliquem actum auctoritate Summi Pontificis gestum; prima dignitas omnium cathedralium, et beneficia vacantia octo determinatis anni mensibus, vel saltem sex mensibus, si ab Episcopo accipiatur alternativa. Sedem Apostolicam hæc beneficia reservando, potestatem suam non excedere, sed utiliter et laudabiliter agere, probat Bouix in tractatu de principiis juris Canonici p. 2, sect. 2, cap. 2.

Regulæ cancellariæ durant tantum vivente Papa eas faciente, eoque moriente expirant. Sede Apostolica vacante, cessant; ita ut eo tempore collator ordinarius beneficia per regulas cancellariæ tantum reservata, conferre possit. Statim autem ac a novo Papa reassumuntur, iterum obligare incipiunt, et vim legis habent.

His regulis cancellariæ in pluribus locis per concordata aliasve concessionem derogatum est, v. g. in diocesi Brugensi in Belgio, ubi per bullam erectionis capituli, reservata prima post pontificatum dignitate, reliquæ dignitates et canonicatus ab Episcopo libere conferri possunt, reservationibus et affectionibus cessantibus. In territorio autem Gallicano, prout erat 1801, iisdem regulis quoad canonicatus et dignitates generaliter derogatum non est per concordatum 1801, neque per posteriora indulta Apostolica. Episcopi tamen hujus territorii omnes canonicatus et dignitates conferre solent, quasi regulæ cancellariæ ibidem nullo modo obligarent, et libera illorum foret collatio. Rationes pro et contra afferuntur. Collationes autem in tanto territorio et tam longo tempore factas, invalidas dicere repugnat, eo magis quidem, quod Sedes Apostolica illam agendi rationem cognoscat, et non tantum sileat, sed habeat canonicos ut legitimos et legitimas pariter dignitates in toto hoc territorio existentes (2).

(1) Collectio epistolarum pastoralium Episcop. Brugensis, tom. 1, p. 110.

(2) Vid. Gousset Exposit. des princ. de droit can. ch. X, q. IV; Bouix de principiis juris can. p. 2, sect. III, cap. IV, § 2, et de capitulis p. 2, cap. IV, § 11; Craisson Manuale juris can. n. 459.

III. His sepositis, in jure expresse statutum non est, ad quem pertineat collatio canonicatum et præbendarum ecclesiæ cathedralis. Hinc quatuor referuntur opiniones: prima sustinet illam spectare ad solum Episcopum, secunda ad Episcopum de consensu capituli, tertia ad Episcopum cum consilio capituli, et quarta eam esse simultaneam inter Episcopum et capitulum. Quarta hæc opinio omnino nunc certa habetur, et communiter admittitur (1).

In simultanea collatione æquale jus est Episcopi et capituli, atque tanta est vox unius, quanta alterius, perinde ac si essent duæ personæ, quarum una repræsentatur ab Episcopo, et altera a capitulo, ita ut ad validam electionem major pars capituli cum Episcopo concordare debeat. Cum autem ex isto conferendi modo non raro plures orirentur difficultates, praxis frequentius induxit turnariam divisionem per menses, hebdomadas aliaque tempora, ut unus uno, alter alio tempore in solidum ac pleno jure conferret (2).

Admissa simultanea collatione, excipiendum tamen est: 1° si collatio ex fundatione ecclesiæ vel beneficii ad alium spectet; 2° si aliter se habeat consuetudo immemorabilis seu centenaria vel quadragenaria cum titulo (3). 3° Excipienda est collatio seu electio canonici theologalis et pœnitentarii, ut propriis locis dicetur. 4° Collatio canonicatum et dignitatum in territorio Gallicano a tempore concordati 1801 communiter data est per solos Episcopos sine interventione capituli, etiamsi per bullam ejusdem concordati aut per aliud posterius Sanctæ Sedis decretum juri de simultanea collatione per Episcopum et capitulum faciendâ derogatum non fuerit. Per decretum Cardinalis a Latere *Cum Sanctissimus Dominus* 9 Aprilis 1802, quo Bulla novæ circumscriptionis Diocesium Galliæ publicatur, Episcopis facultas conceditur, *ut posteaquam canonice instituti, ecclesiarum suarum regimen actu consecuti erunt, capitulum in Metropolitanis et Cathedralibus respective ecclesiis suis erigere ipsi possint juxta formam a Sacris Canonibus, Conciliisque præscriptam, et ab Ecclesia*

(1) Fagnanus in 2 p. primi Decretal. de elect. cap. *Cum Ecclesia Vulturana*; Scarfantonus, lib. 1, tit. 2, animadv. 16 et sq. et lib. 4, tit. 7; Barbosa de canonicis cap. XIV, n. 2; Lucius Ferraris canonicatus art. 2, n. 1; De Angelis, Prælect. jur. can. lib. III, tit. V, n. 21.

(2) Cardinalis de Luca de beneficiis, discursus 1, n. 30; Scarfantonus locis citatis; Lucius Ferraris loco cit.

(3) Fagnanus loco cit. n. 25; Scarfantonus lib. 1, loco cit. n. 18-24; Lucius Ferraris *Canonicatus*, art. 2, n. 2 et 3.

*huc usque servatam, cum eo dignitatum et canonicorum numero, quem ad earundem Metropolitanarum et Cathedralium Ecclesiarum utilitatem et honorem, attentis rerum circumstantiis expedire judicabunt.* Episcopi hac facultate muniti, capitula erexerunt, ipsique soli canonicos et dignitates nominarunt, seu canonicatus et dignitates ac præbendas contulerunt: cum enim capitula omnia suppressa et extincta essent; canonici amplius non erant, qui simultaneæ collationis jure potirentur. Sicut Episcopi prima illa vice canonicatus et dignitates per se ipsos solos contulerunt; sic deinceps ipsi soli omnes canonicatus et dignitates contulerunt. Disputari potest, num capitula nunc jure simultaneæ collationis privata maneant. Cum autem, ut omnes auctores admittunt, hæc materia sit præscriptibilis, concedendum est: 1° consuetudinem tam longi temporis grave esse argumentum in favorem Episcoporum; 2° facultatem Episcopis datam, erigendi capitulum et nominandi canonicos, potuisse habitum esse pro titulo liberæ collationis in futurum faciendæ; 3° omnes per solos Episcopos hucusque nominatos haberi ut veros et legitimos canonicos ac dignitates (1).

Not. ad certioremem rei memoriam omnesque avertendas fraudes, collationem seu provisionem sine litteris non fieri, et neminem sine ejusmodi litteris exhibitis ad canonicatus possessionem admittendum esse, si non ex lege, saltem ex consuetudine recepta (2).

### CAPUT III.

#### § 1. De numero canonicorum.

I. Numerus canonicorum capituli ecclesiæ cathedralis in jure non determinatur.

Ad capitulum primo instituendum saltem tres requiruntur, duo autem sufficiunt ad institutum, imo illius jura etiam in uno perseverant (3); et non dissolvitur, nisi per mortem omnium capitula-

(1) Vid. Bouix de capitulis p. 2, cap. 4, § X; Craisson Manuale juris can. n. 457.

(2) Devoti Instit. Canon. lib. 1, tit. V, § 45; Soglia Instit. jur. priv. § 95.

(3) Zallinger Institut. juris eccl. lib. 3, tit. XI, § 142; Lucius Ferraris *Colligium*, n. 5; Perhinc. jus canonic. lib. 1, tit. VI, n. 12.

rium, aut per auctoritatem Papæ, non autem per potestatem civilem (1).

In ecclesiis cathedralibus tot numero canonici esse debent, quo pro servitio ecclesiæ satisfacere possunt (2). Porro duodecim communiter reputantur necessarii.

Quando certus canonicorum numerus determinatus est ea lege, ut alterari nequeat, ecclesia dicitur numerata. Ecclesia cathedralis tripliciter numerata esse potest: 1. a Papa numerum canonicorum determinante; 2. ab Episcopo cum capitulo, vel a capitulo cum Episcopi approbatione; 3. a diuturna consuetudine habendi numerum canonicorum tanquam determinatum et non augendum neque mutandum (3).

II. Numerus canonicorum communiter loquendo minuendus non est. Nolunt Decretales Gregorii IX, lib. 1, tit. II, cap. 12. *Divini Numinis minui cultum, sed potius augmentari.* Præterea canonicatus auctoritate Pontificali confirmati cum præfinitione numeri et decreto irritante, per Episcopum supprimi non possunt. Juxta Concilium tamen Tridentinum sess. 24, cap. 15 de reformat. "In ecclesiis cathedralibus et collegiatis insignibus, ubi frequentes adeoque tenues sunt præbendæ simul cum distributionibus quotidianis, ut sustinendo decenti canonicorum gradui pro loci et personarum qualitate non sufficiant; liceat episcopis cum consensu capituli, vel aliquot simplicia beneficia, non tamen regularia, iis unire; vel, si hac ratione provideri non possit, aliquibus ex iis suppressis, cum patronorum consensu, si de jure patronatus laicorum sint, quarum fructus et proventus, reliquarum præbendarum distributionibus quotidianis applicentur, eas ad pauciores numerum reducere; ita tamen ut tot superent, quæ divino cultui celebrando ac dignitati Ecclesiæ commode valeant respondere" (4).

III. Augere numerum determinatum canonicorum non licet, nisi augeantur proventus. Hoc supposito, si ecclesia non sit numerata, numerus augeri potest. Si vero numerus canonicorum

(1) Scarfantonus lib. IV, tit. 2, n. 20-24.

(2) Barbosa de canonicis c. 3, n. 1.

(3) Barbosa de canonicis cap. 3, n. 1 et seq.; Scarfantonus lib. 4, tit. 12, n. 1 et seq.; Bouix de capitulis, p. 1, sect. 2, cap. 4.

(4) Pallottini, *Canonicatus*, § VI, n. 48 et seqq., n. 107 et seqq. et 138; Zamboni, tom. IV, beneficia § XXXI, Canonicatus § X et XIII; Barbosa de canon. cap. III, n. 18 et seq. Bouix de capitulis p. 1, sect. 2, cap. IV, n. 7.

firmatus fuerit auctoritate Papæ, sive per statutum ab eodem confirmatum, tunc sine interventu Papæ augeri nequit (1). Si autem ecclesia numerata fuerit auctoritate solius Episcopi aut capituli, eadem etiam auctoritate numerus canonicorum augeri potest, abrogando scilicet statutum de non augendo numero (2). Episcopus tamen propria auctoritate aut independenter a capitulo, certum canonicorum numerum augere nequit, sed consensum et votum capituli exquirere tenetur (3).

IV. In territorio Gallicano, prout erat 1801, capitula uti numerata haberi non debent. In decreto enim Cardinalis a Latere *cum Sanctissimus Dominus* 9 Ap. 1802, quo bulla novæ circumscriptionis Diocesium Galliæ publicatur, Episcopis facultas conceditur erigendi capitulum *cum eo dignitatum et canonicorum numero, quem ad ecclesiarum utilitatem et honorem, attentis rerum circumstantiis, expedire judicabunt*. Licet determinatus canonicorum numerus tantum pensionem a gubernio recipiat, nullum tamen generale existit statutum ecclesiasticum de non augendo eorum numero. Unde non tantum a Papa, sed etiam ab Episcopo cum consensu capituli addi possunt canonici, supposita erectione præbendarum, ex nova v. g. fundatione provenientium (4).

§ 2. *An Episcopus, erecto capitulo cathedrali cum canonicis et dignitatibus, deinde novos canonicatus et dignitates creare et superaddere potest?*

Prænotandum est in hac quæstione supponi, Episcopum numerum canonicorum augere posse, ut in præcedente explicatum est.

I. Episcopus cum capituli consensu, etiam absque Sedis Apostolicæ licentia, legitima pollet facultate, novos erigendi canonicatus ac præbendas in ecclesia cathedrali : nam cum canonicatus sint beneficia, et quævis beneficia auctoritate Episcopali creari possint; sequitur Episcopum auctoritate propria canonicatus

(1) Pallottini, *Capitulum*, § VIII, n. 84-86.

(2) Scarfantonus, lib. 1, tit. XIV, animad. 28, et lib. 4, tit. XII, n. 4; Barbosa de canonicis cap. III, n. 2; Fagnanus in 1 p. tertii Decret. de præbendis cap. *Dilectus*, 2º n. 16.

(3) Zamboni, *Capitulum*, § VII, tom. IV; Pallottini, *Canonicatus*, § III, n. 9.

(4) Bouix de capitulis p. 1, s. 2, cap. IV, n. 8; Craisson Manuale juris can. n. 2180.

erigere posse, modo speciale non obstet statutum Pontificale, uti supponitur (1).

Episcopus autem absque capituli consensu novos canonicatus creare nequit. Irrita censetur erectio, si hujusmodi consensus defuerit (2). Quod si capitulum erectioni irrationabiliter se opponat, et consensum neget, illum supplet Sacra Congregatio Concilii (3).

II. Episcopus dignitatem, quæ aliquando in illa ecclesia fuit, et nunc desiit, cum assensu capituli restituere potest. Ad erectionem vero novæ et inusitatæ dignitatis, quæ in similibus ecclesiis erigi non consuevit, Summi Pontificis requiritur auctoritas. Quod si agatur de instituenda dignitate, quæ in tali ecclesia antea non fuit, usitata tamen, quæ in similibus ecclesiis erigi consuevit, sacrisque canonibus cognita existit, uti sunt Archidiaconatus, Archipresbyteratus, Decanatus, Præpositura etc., ad solam pertinet Apostolicam Sedem, illam de novo instituere (4); licet plures censeant, eandem ab Episcopo institui posse (5), cum capituli consensu, nisi forte in casu, quo dos aliunde quam ex redditibus illius ecclesiæ constitueretur, quia tunc canonicis nullum fit præjudicium in suis redditibus, et augetur cultus divinus (6). Si consensus injuste denegaretur, per Sacram Congregationem concilii suppleri potest, uti supra notatum est.

Quæ sint jura canonicorum posterioris erectionis, infra dicetur dum agetur de juribus canonicorum.

#### CAPUT IV.

##### § 1. *De capienda possessione canonicatus et dignitatis.*

I. Possessio capienda dicitur installatio, investitura, institutio realis et actualis, inductio seu missio in possessionem actualem, realem, corporalem.

(1) Zamboni, tom. 4, *capitulum*, § VII; Barbosa de canonicis, cap. II, n. 22; Corradus Praxis benef. lib. II, cap. III, n. 1; Craisson Manuale juris Canon, n. 2267.

(2) Pallottini, *Canonicatus*, § III, n. 3 et seq.; Zamboni loco cit. Bouix de capitulis p. 2, cap. III; Lucius Ferraris *Canonicatus* art. XI, n. 17; Scarfantonus lib. 1, tit. XIV animadv. 35.

(3) Pallottini loco cit. n. 75, 76 et seq. alique auctores citati.

(4) Bened. XIV, de Syn. Diœc. lib. XII, cap. 1, n. VIII.

(5) Zamboni tom. 4, *Dignitates ecclesiast.* § 1; Barbosa de canonicis, cap. IV, n. 4; Scarfantonus lib. 4, tit. XII, n. 9; Bouix de capitulis p. 2, cap. III.

(6) Scarfantonus loco cit. n. 10.